



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

29. De legitima portione, quam parentes filiis debent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

nec ratione matris, quia nepotes auctoris non succedunt in locum matris, nisi quando mater *viva* decessit. Si secundo, tunc filii succedunt auctori, non nomine & iure matris, quae hereditatem renunciauit, sed nomine & iure suo, quatenus nepotes una cum patris, vel auunculis succedunt.

Couar loco citato. §. 3. num. 7. communem sententiam sequitur.

Decimoquarto quaeritur, An renunciatio a filia facta, ortu filiorum reuocetur? Verbi gratia, renunciauit filia hereditati paternae, quae filios nondum habebat, & tamen postea nati sunt? Quaeritur, An talium filiorum ortu renunciatio extingatur? Respondeo, minime, quia patrum non solum filii iam nati uocantur, sed etiam nascituris, Sic *Couar loco citato. §. 3. num. 8. ex Alexan. Decio. Antonio Rubeo, Socino, & aliis.*

Decimoquinto quaeritur, An legitima filii debita possit pater modum conditionemve apponere, quae ipsa legitima grauetur? Respondeo, minime, ut *consuet. ex l. quoniam in priorib. C. de inoffic. testamento*: sed de hac re capite sequenti tractabo *quest. 5. & 6.*

CAP. XXIX.

De legitima portione quam parentibus filiis debent.

Primo quaeritur, An filius parentes suos instituere haeredes iure cogatur iure communi pater & mater exclusis auis, si superstitibus sint, debent a filio haeredes institui, aut exheredari iustis causis in testamento expressis, alioqui nullum est testamentum, quod ad haeredum institutionem pertinet, quod si alter eorum fuerit *viva* functus, is solus qui superfuerit, debet haeres institui: quod si neuter eorum maneat in *vivis*, succedunt auis, siue paterni illi sint, siue materni. Si vero vnus tantum eorum superstitis fuerit, istantem haeres est instituendus. *Hec omnia colliguntur ex Authent. De haeredib. ab intestato. §. Consequens auem, & ex Authent. Defuncto. C. Ad iuratus consultum Terentianum.* Succedunt itaque progenitores tertata semper praerogatiua gradus; scilicet pater auctori praerogatur eumque excludit, & idem de caeteris maioribus, succedit enim is, qui est natu propinquior, aliis superioribus exclusis. Quaes quid dicendum quando plures progenitores sunt in aequali gradu, puta ex parte patris in primo, vel secundo gradu? Et similiter ex parte matris in primo, vel secundo? Iure communi tunc paterni in dimidia parte succedunt, & in alia dimidia materni progenitores, quamuis ex vna parte, & ex alia auctoris tantum, aut auia tantum. *Authent. De Haeredib. ab intestato veniens. §. 1. & 2. & Authent. Defuncto citata.*

Secundo quaeritur, Quota sit legitima quae parentibus communi iure debetur? Respondeo, cum Doctoribus, & Glossa in *Authent. Nouissim. C. de inoffic. testam. in a. Bastolo.* & aliis communi consensu approbata in hunc modum: olim filius loco legitime parentibus solum quartam suorum bonorum partem debebat, ita vt de tribus sui patrimonii partibus libere statuere posset, quarta parte parentibus relicta. Postea vero iure *Authenticatum* constitutionum, aucta creditur parentum legitima, ita vt tertia pars ex bonis filii, parentibus debeatur: & haec iuris ciuili sententia iudicatur. Aliubi vero, vt in Hispania in regno Portugalliae & Castellae extant, Regiae leges decernentes, vt legitima parentibus debita ex bonis filii sint duae partes: ita vt filius legitimum patrem vel matrem habens, solum libere testari queat de tertia suorum bonorum portione.

Tertio quaeritur, An parentes exclusis fratribus, succedant filio ex testamento, & ab intestato? Respondeo in hunc modum: iure communi ciuili, si testator legitimos parentes habet simul, & fratres vtrique coniunctos, debet eos aequaliter haeredes instituere, ita vt per capita hoc est, aequis portionibus fratres vna cum parentibus succedant in bonis ipsius filii; fratrum vero liberi per stirpes, hoc est, in ea portione, in qua eorum pater succederet, et

consuet. ex Authent. supra citatis. At vero in Hispania, & aliis etiam, parentes soli succedunt, ita vt fratres vtrique etiam coniuncti excludantur parentibus *vivis*: ut ait *Couarruasis in epistola de successibus ab intestato nu. 6.*

Quarto quaeritur, An eodem modo parentes succedant filio, quo filii parentibus? Respondeo, minime nam iure communi filii succedunt parentibus sic: vt si plures sint in eodem gradu, aequaliter succedant; si vero sit vnus filius, & duo nepotes ex eius fratre relicto, non succedunt aequaliter, sed totum patrimonium patris in duas portiones diuiditur, & vna debetur filio; altera diuiditur inter nepotes, qui non per capita, sed per stirpes succedunt: eo quod filius succedit iure suo, nepotes vero iure patris de mortui: ac propterea licet tres pluresue sint, in ea tamen portione succedunt quam eorum pater haberet, si esset superstes. At vero aliud ius est de parentibus, qui succedunt in bonis filiorum. Nam si pater sit mortuus, & mater sit superstes vna cum auctore paterno, solum succedit filio mater excluso auctore paterno: hic enim non est representatiua loci, hoc est, auctoris paternus non succedit representans personam sui filii *viva* iam functi.

Quinto quaeritur, An filius legitime, quae parentibus debetur possit modum conditionemve apponere quae ipsa legitima grauetur? Respondeo, minime: quod si apponet, irrita erit & inanis, *Gloss. in Authent. de haered. & Falcidia. §. si vero expressim. & Gloss. in l. Pantonium. verbo consuetudo. §. si a patre quis manumissus fuerit.* Sciendum est legitimam portionem debitam, siue ascendentibus, siue descendentibus grauari non posse aliqua conditione, onere, vel modo: at iniqui ille modus, vel conditio, vel onus appositum ipso iure nulla sunt, perinde ac si appositae non essent. *Quoniam in prioribus. C. de inoffic. testam.* sic communis opinio, quam habet *Antonius Gomes. tom. 1. variar. resolut. cap. 11. numer. 24.* Nihilominus certum est patrem filio vulgariter aliquid alium substituere: neque enim vel legis substitutio intelligitur legitimam grauare. Vt si dicat pater: meorum bonorum haeredem instituo Titum filium meum: & si ille haeres non fuerit, substituo illi Sempronium, aut si meus haeres Sempronius: quoniam in tali substitutione, solum pater constituit sibi haeredem, si forte filius casu aliquo ei haeres non sit: ac proinde filius nulli onere, modo, aut conditione grauetur. Deinde pupillaris substitutio non iudicatur legitimam filii grauare: vt si pater dicat, si filius meus Titus ante annos pubertatis e vita decesserit, succedat in bonis illius Sempronius, nam pater vitatur iure sibi legibus concessio.

Sexto quaeritur, quid sit dicendum, cum is cui portio debetur legitima, haeres instituitur in longe maiori portione, an tunc modus conditione adhiberi queat? exempli gratia, instituitur filius haeres in omnibus bonis paternis. Quaeritur, an pater possit filium grauare? Respondeo, non posse ex ea parte, qua filio legitima debetur, bene tamen ex ea parte, qua ultra legitimam debitam aliquid filio relinquit, veluti si pater instituat suum filium in omnibus suis bonis, ea tamen conditione & lege, vt si decesserit sine liberis, illa Sempronio relinquat, aut si iure primogenitorum sint affecta, poterit filius libere statuere de eo, quod pertinet ad legitimam sibi debitam: quod si nihil de ea statuat, ad haeredes illius ab intestato integra pertinebit.

Septimo quaeritur, An is qui parentes nullos habet, nec vllos filios legitimos, lege cogatur, statere si quos habet, haeredes instituere, ita vt eis aliquam portionem legitimam debeat? Respondeo, nulla enim lege compelli ad id faciendum, posseque libere in quo voluerit ex trauctis sua bona testamento transmittere, nulla fratrum suorum facta mentione. Vna tamen est causa, ob quam penes fratrem ius est agendi contra fratris testamentum: etiam quam inuile, & inofficium: nempe si frater instituat haeredem turpem hominem, id est, infamem, & idem iuris soror habet. Sed totum hoc locum habet in fratre vtrique coniuncto, id est, ex eodem patre & matre

utroque Fratres uterini. C. de inofficio testam. nisi frater in testamento præteritus infamis quoque fuerit, aut fratri testatori ingratus: tunc enim contra testamentum actionem non habet, quamvis infamem hominem frater hæredem instituerit. *Authent. De nuptiis. §. Ingratus uterinus.*

Octavo quaeritur, An vnus coniux debeat alterum coniugem hæredem instituire, ita vt alter alteri portionem legitimam debeat? Respondeo, ita hunc modum: coniux debet iure communi coniugem suorum omnium bonorum hæredem instituire, si nullos filios haberit legitimos, nec parentes; quod si liberos habeat, debet in coniugem partem suorum bonorum partem testamenti transferre, si absque dote in matrimonium duxit, & ita pauperem, vt aliunde viuere nequeat. *Authent. de exhiben. res. §. Quoniam vero. Authent. Præterea vnus vir, & vxor. Authent. Vt liceat matri. §. Aut & Quia vero.* At cum maritus liberos habeat, quæ pars bonorum eius ad vxorem ita pertinet, vt eius dum viuat, tantummodo vsum, & fructum habeat: nam dominium ad filios, ex eodem matrimonio susceptos spectat. Idem iuris habet maritus in bonis vxoris, quod habet vxor in bonis mariti.

C A P. XXX.

De iure, & potestate Dominorum in seruos, & primum quo iure sit seruitus inducta.

Agendum nobis nunc est de iis, quæ seruus domino debet; & vicissim de iis, quæ dominus seruo præstare iure compellitur, sed dicendum tamen prius generatim est, quid iuris herilis potestas in seruos contineat. Summa pertonarum diuisio est, vt hominum alii sint liberi, & sui iuris, alii serui, & alieni iuris leg. 1. ff. de statu homin. Instituit. de iure personar. §. 1.

Primo quaeritur, An aliquis ex liberis parentibus procreatus seruus natura nascatur? Hanc quaestionem Aristoteles tractauit lib. 1. Polit. cap. 3. Dicimus (ex liberis parentibus) quoniam, vt inferius dicemus, multi natura sunt serui, hoc est, origine, quia ex ancillis, quæ sunt mancipia nascuntur. Quæstio igitur est, an aliquis ex utroque parente libero nascatur, non natura serui. Fuerunt enim quidam, qui id affirmauerint Aristotelis auctoritate permoti, qui 1. Polit. cap. 1. approbare videtur Pœtæ arum testimonium, dicebant Græcos Barbaris dominari oportere: quod idem sit natura Barbarus, & seruus: & cap. 3. dicit, quosdam nasci seruos, & seruitutem quandam ex ipsa natura contrahi, quia aliqui nascuntur heredes, & tardi, ac proinde oportet eos aliorum consilio, ac imperio regi, qui mente, ratione, ac sapientia valent. *Quomodo modum, inquit, corpus natura menti, & rationi parit, & mens imperat: deinde quemadmodum natura cum sensu animantes rationi expertes homini subiecti, uti ratione, & intelligentia præditio, qui ipsi naturaliter dominatur, & imperat: Sic etiam alii inter homines ingenio, ratione, & sapientia præstant: alii vero corpore & viribus valent, ingenio & ratione non ita; & hi illorum ingenio natura ipsa subiacent, & parent.* Ex hoc loco Aristotelis quidam colligere conantur, inter homines, alios esse natura liberos, alios natura seruos. *Richard. 4. dist. 36. art. 4. q. 1.* Sed certe dubitari non potest, quin homines ex liberis parentibus procreati, per naturam ipsam libertate sint præditi, quamuis postea iure gentium iusto bello de iudici multi in seruitutem redigantur. Vnde ius Civile, & Canonicum aperte definiunt, seruitutem iure gentium, ac belli esse introductam, & ab initio homines natos esse natura liberos, vt colligitur ex *Instit. de iure nat. gent. & civili, §. Ius autem gentium, & de iure personar. vers. seruitus autem, & de Libertate in principio, & Libertas ff. de statu hominum. l. Mammillationes ff. de Inst. & iure, & dist. 1. cap. Ius gentium. & cap. cum Redemptor 12. quaest. 11.* ex Gregorio habetur, [homines quos ab initio natura liberos protulit, & Ius gentium iugo subicitur seruitutis.] Aristoteles vero tantummodo videtur docuisse, quosdam nasci ita imbecillo, &

tudi ingenio, vt seipsos regere nesciant: quos propterea non ita redigit in seruitutem, vt tanquam mancipia sint aliorum potestati subiecti, sed in seruitutem quandam civilem, vt aliorum consilio, prudentia, sapientia, & montis civiliter gubernentur: quorum etiam iudicio, & auctoritate ad bonum trahantur, a malo auocentur, doceantur, & in civilibus vitæ actionibus dirigantur, vt sic in officio contineantur. Item Aristoteles ibi solum docere vult, quosdam esse ingenio, & natura magis aptos ad dominandum, alios ad seruendum, nimirum ciuilibiter.

Secundo quaeritur, An seruitus, quæ est legibus introducta, ac propterea dicta legalis, pugnet cum iure naturali, & an sit ob peccatum inducta: Profecto iura ciuilia aperte testantur, seruitutem per se contra naturam extitisse, in l. libertas ff. de statu hominum. *Instit. de iure nat. gent. & civili, §. Ius autem gentium, & de iure persona. vers. seruitus autem:* eo quod omnes homines ab initio liberi nascebantur, nec bella, & captiuitates tunc erant. Et Ambrosius in cap. Sexto die. dist. 35. ait: *Manebat omnibus, antequam vinum inueniretur, in concessa libertate: nemo sciebat à consorte natura sua obsequia seruitutis exigere: non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset.* Hæc ille, ergo seruitus est per ebrietatem inducta.

Augustinus lib. 19. de ciuita. Dei, cap. 15. aperte dicit: *Rationalem hominem factum ad imaginem Dei, voluit Deus irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori: & paulo inferius: Condicio qui pe seruitutis iure intelligitur imposta peccatori. Proinde nunquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo, Noe iustus peccatum filii vindicaret. Nomen igitur istud culpa meruit, non natura.* Et inferius: *Prima ergo seruitutis causa peccatum est, vt homo homini conditione vinculo subderetur.* Gregorius lib. 21. Moral. cap. 11. Omnes, inquit, homines natura æquales sumus, sed accessit dispensatio in Ordine, vt quibusdam prælati viderentur: Paulo inferius: *Omnes homines natura æquales genuit: sed variato meritum Ordine, alios alius dispensatio occulta postponit: ipsa autem diuersitas, quæ accessit, ex vitio recte est iudicis ordinata.* Hactenus illi magni patres. His accedit: quod iure gentium introducta sunt bella, captiuitates, seruitutes. *Instit. de iure nat. gent. & civili, §. Ius autem.* Hinc fit, vt Iurisconsulti libertatem temper tueantur, & seruent, quandoque leges & Iura, testamenta, contractus, donationes, & alia huiusmodi, verba contineant ambigua, obscura, & incerta, in quibus interpretandis, semper quoad possunt libertati fauent.

Quidam vero sentiunt, seruitutem esse naturali iure constitutam: tum quia iure gentium sunt seruitutes hominum inductæ, vt habetur in l. Ex hoc iure ff. de Insti. & Tu. & in cap. Ius gentium, dist. 1. ex Isidoro. *Instit. de iure nat. §. Ius autem gentium, & in l. libertas ff. de statu hominum.* Et Ius gentium idem est, quod ius naturale, *Instit. de iure nat. ur. gent. & civili, §. Ius autem civile, & l. Omnes ff. de Insti. & iure.* Tum etiam, quia vbique terrarum, & gentium alii sunt domini, alii serui, & ex ipso naturalis rationis præter proferri etiam multi sunt facti. Nec est à ratione alienum, vt quemadmodum iure belli bona capta, in victorum potestatem, & dominium transferuntur, sic etiam bello victi in captiuentum dominium transeunt: & quos aliqui victores ipsi necare iure possent, iure victi donatos in seruitutem redigunt, *Instit. de iure personar. §. Serui autem ex eo:* quibus enim vitam iure possent eripere, iure adiungunt libertatem. Est enim vita libertate carior, atque preciosior. Sanctus Thomas 4. dist. 36. q. 1. art. 2. docet seruitutem esse iuris positiuum, non naturalem, Communis est opinio, et iurisdictionem iure gentium cõpisse: sed multum habere ex legibus, & iure civili. Et ideo Sanctus Thomas loco citato, Durandus quarto dist. 36. quaest. 2. dixerunt seruitutem esse iuris positiuum, cum tamen Alexander pag. 3. quaest. 27. memb. 4. art. 3. §. 4. in fine docuerit, seruitutem iure naturali esse introductam, corrupta per peccatum natura, sicut est inducta rerum diuisio.